

BAP. GVARINI IVNIOR.

IN FVNERE ALOYSII ESTEN.
PRINCIPIS ILLVSTRISS.
ET S. R. E. CARD. AMPLISS.


ORATIO.





FERRARIÆ,

Excudebat Victorius Baldinus.
Typographus Ducalis. 1587.



BAP. GVARINI IVN. ORATIO

IN FVNERE ALOYSII ESTENS.
Principis Illuſtriſs. & S.R.E.Card.Ampliſs.





BIIT, Alfonſe Dux Sereniſsime, obijt inquam ALOYSIVS ille Princeps & Cardinalis Eſtenſis poſt hominum memoriam maximus & ampliſsimus, frater tuus. In cuius funere celebrãdo non ſatis cumulatè viſum eſt tibi partes piẽtiſsimi fratris, & Principis expleuiſſe, niſi munus hoc quod ſupremum cum eo tibi futurũ erat, laudatione publica decoraſſes: ne ſurdo potius cineri iuſta ſoluere, quam quod iuſtum eſt præclariſsimo eius nomini reddere videreris: néue hoc celeberrimum amoris tui teſtimoniũ anguſtis vnius templi finibus circumſcriptum poſt inferias euaneſcat; ſed ita viuat, & in ore omnium vigeat, vt vbi tanti viri gloria prædicatur, ibi & tua pietas innoteſcat. Mihi verò neſcio quo meo fato tantum id oneris ſuſtinenti, ſi laudes quærere lachrymis datum eſſet, ſi dolore facundiam comparare; quam mihi hodierna die prouinciam, licet arduam & meis imparem viribus commiſiſti, eam certè ſperarem non minus facilè quàm luculenter abſoluere. quis eſt enim qui cùm intueatur in hoc humanæ conditionis luctuoſiſsimum ſimulachrum, ſecumq; animo reputet, tot ac tantas virtutes ita ſecum acerbam immaturamq; mortem hauſiſſe, vt ſupereſſe vix tanti Principis videatur veſtigium illud ſepulcro & cineri deſtinarũ

quis inquam eſt qui mœrendo, ac deplorando hoc quod reliquũ eſt pietatis officium præſtandum eſſe non cenſeat? Sed quoniã clariſsimorum hominum vita non breui hoc naturæ, ſed æterno gloriæ ſpiritu continetur, neminem certè tam conſternatæ mentis exiſtimo, qui licèt iacturam ipſam tam inſignem ac lachrymabilem iniquo animo ferat, indignum tamen atque abhorrens à vera pietate non cenſeat funus hoc Principis inuictiſſimi muliebri luctu, & fletibus funeſtare. cùm ſola nobis tantarum laudum cõmemoratio, tanquam reuiuiſcentis illius Aloyſij, quem nos extinctum credimus, veram & ſi non oculis intuendam, ſaltem animo venerandam exhibere poſsit imaginẽ. Tantiſper igitur lachrymis temperandum, donec oſtendero nihil ei lachrymabile contigiſſe. tandiu cohibendus eſt dolor, dum nullam doloris cauſam niſi fortè nobiſcum eſſe docuero. Tuq; in primis Sereniſsime Princeps quanquam fraternæ pietatis & iuſti doloris ſenſum ab animo tuo remouere nec audeo, nec debeo, nec ſi vellem fortaſſe poſsim; tu tamen vt Princeps inuicti, & heroici animi in funere tanti Principis verè tibi natura, & virtute germani, ita te compoſito vultu, & vt ſoles animo præſta, vt hæc verè ſquallida, & omni eloquentię lumine deſtituta oratio mea, tua ſumma benignitate illuſtrata, erectaque hoc quod inſtat arduum, ac præſtantiſsimum munus abſoluat. Eſt hoc in more poſitum, & ab omnibus ferè grauiſsimis oratoribus vſurpatum, vt facta excellentiſsimorum hominum laudaturi, ab ipſis natalibus auſpicentur. natura enim comparatum eſt, vt ferè ſemper ab optimis optimi procreentur, & vt ipſa generis virtus à parentibus inſtillata, veluti occultum quoddam nobilitatis ſemen in liberos tranſmittatur. Quo licèt præclariſsimo inſtituto vereor ne hodie in maximi huius Principis laudibus tanquam ſuperua caneo, vtinam non inepto abuti videar. quis enim eſt rerum omnium tam ignarus, tam expers qui clariſsimam tum Eſtenſis, tum Valeſiæ domus nobilitatem ignoret? quæ gens, quæ natio in toto terrarum orbe tam barbara, tam remota, ad quam vtriusque gloria non perſuaſerit? quis neſcit Eſtenſium Principum ſobolem: in qua non aduentitiam, aut externam, ſed ingenitam, ac germanam Italici ſanguinis claritatem adhuc vigere non dubitamus, non ſolùm in eadem prouincia, vnde prius originem duxit, & tam altè radices egit, ſed etiam in Germania; nobilitate minimè accepta, ſed communicata, tot infeſtiſsimis ſeculis

culis, tot barbarorum colluuionibus virtute non minus quàm tempore superatis, tot non solùm imperijs, sed ipso quoque Imperij diademate decoratam, tot victorijs insignitam, tot Regum atque Imperatorum affinitatibus auctam, non vi sed legibus, nõ scelere sed virtute, non fortuna sed meritis ad nostra vsque tempora propagatam? Ab hac igitur tam insigni, ac tam vetusta generis excellentia Hercule scilicet ac Renata Ludouici Galliarum maximi, & potentissimi Regis, Annæque citerioris Britaniæ Ducissæ filia, parentibus Serenissimis ortus est Aloysius Princeps. qui omne ab ipsis heroicum, omne regium ita hausit, ita haustum retinuit, ita retentum virtute propria decorauit, vt eius meritis penè ipsa nobilitata nobilitas videretur. In hoc verò licèt amplissimo laudis genere diutius immorari non decet; ne si præcipuas in eo partes orationis meæ consumerem, id potius quod non fuit Aloysij proprium, quàm Aloysium ipsum laudauisse videri possim. Non secus ac si quis auream fortè statuam probaturus; licèt aurum metallorum omnium præstantissimũ sit, illam tamen ab auro potius commendaret quàm ab egregio artificis magisterio, vel ab ea quæ optimè foret expressa vel Dei, vel hominis forma; procul dubio videretur nõ statuam ipsam, sed potius aurum in statua commendàsse. At verò in tanta rerum quæ mihi se se offerunt vbertate, in tanta excellentissimarũ virtutum copia quid primum mihi futurum sit, quid postremũ affirmare certè non ausim. hæsitat.n. lingua in commemoratione tantarum laudum, hęsitat animus. vt iure quidem optimo videatur nullam nos in hoc Principe nec maiorem, nec veriorem asserere posse laudem, quàm quod laudari minimè possit. Quemadmodum in præstantissimis illis formis vsu venire solet; in quibus tam delicata oris lineamenta natura indidit, vt superent omnem artem, & ipsam quantumuis doctam pictoris manum effugere, vel vt verius dicam eludere videãtur. Sed posteaquam in hoc tanto, ac tam immenso dicendi spatio perducenda, vel potius periclitanda est oratio nostra; dabimus operam, vt quemadmodum solent ij qui vastissima cœlestium orbium corpora in angusta sphæra concludunt, vt vnico cœlum videri possit obtutu: ita nos in breuissimum orationis gyrum tantarum laudum materiam contrahentes, heroicam summi Principis & Cardinalis naturam exhibeamus vnico mentis intuitu contemplandam, Quid enim absurdius dici, aut excogitari potest; quid

minus

minus conſentaneum rationi, quàm eminentiſsimorum hominum laudes exquirere à minuſculis, & vulgaribus illis virtutibus, quæ cum ſingulis communicari poſſunt, & ſolent, quibusq́ue priuati etiam homines gloriantur? Paruos parua decent, maxima maximos, nec breui lintre vaſtiſsimus tantarum laudum Oceanus eſt tentandus. Ego enim ſic cenſeo, vnamquanq; hominum conditionem propriam ſibi, & congruentem ſortitam eſſe virtutem, cuius excellentia cæteræ omnes, etiam ſi mediocres extiterint, illuſtrantur. Vt enim corpora ipſa quæ generantur, & occidunt; quanquam ex omnibus ijs naturis, quæ rerum ſunt primordia, continentur; ſibi tamen aſciſcunt, ac propè vendicant dominantem quandam ex innatis illis ſeminibus facultatem, cuius propenſione ad ea quę ſibi cognata ſunt mouentur, ac propemodum concitantur; ita in ipſis virtutibus euenire videmus, quæ licèt omnes humanæ ſint, omnes ad vitam hominis informandam maximè neceſſariæ; ſic tamen ſuam propriam atque peculiarem vnaquæque vitæ conditio ſibi vendicat, vt qui ea præditus eſt, pro vniuſcuiuſque vel fortuna, vel ordine, vel natura, quod ſibi conſentaneum eſt & libentiùs, & decentiùs agere videatur. quid enim tam proprium eſt probi ciuis quàm patriæ charitas? quid liberi hominis quàm veritas? quid ſerui quàm obſequium? agricolæ tolerantia, mercatoris fides, militis fortitudo, adoleſcentis modeſtia, fœminæ pudicitia, ſenatoris integritas, iudicis innocentia? Principis verò magnanimitas, ſplendor, & gloriæ deſiderium. quæ cùm diuini, & veri numinis gratia tanquam bonorum omnium culmine aucta fuerit, vt eſt in Principe ſacerdotali purpura inſignito, quid mirum ſi quæ naturam ipſam excedunt, oratoris quoq; ſuperant vires? Vos igitur auditores, quodcunq; ſummum eſt in omni virtute, quod in omni perfectæ actionis, & vitæ genere heroicum, & ſublime, vnico verbo comprehendite, & veram Aloyſij laudē breuiter explicabitis. Iuuat'ne eius vitā ab ipſis vſq; incunabulis indagare? nulla fuit in illo ætas tam infirma, quæ pubeſcentis illius animi futurā nō oſtenderet magnitudinē; quodcunq; enim aut loqueretur aut ageret præſeferebat neſcio quos ingentis, & inuictæ naturæ ſpiritus, vt illæ ipſæ medius fidius pueriles etiam luſiones indicare nihil abiectum, nihil humile viderentur. Poſtea verò quàm adoleuit, naturæ leges ita confudit, creſcendiq́; terminos anteuertit, vt ætas ingenio, corpus animo vinceretur. quam quidem præ-

claram

claram Principis indolem, probè nouit, & admiratus est acerrimus ille hominum æstimator Paulus Quartus Pontifex Maximus, qui cùm diuino admonente spiritu præsensisset quanta in Christiana religione futura esset accessio, si tantum, ac tantę expectationis adolescentem ad sacerdotium assumpsisset cathedralem nobilissimæ huius Vrbis Ecclesiam illi tradidit moderandã. Dici non potest quàm citò magni præsulis, non personam modò susceperit, sed dignitatem, & munera sustinuerit. vt enim nouella planta surculo reuirescens, ita omnem illius pristinam, ingenitamq; naturam in peregrinum germen transmittit, vt alienos fructus veluti proprios edere videatur; non aliter adhuc recens ille animus postquàm recepit insitum religionis amorem, sic omnem cogitationem in eius curam traduxit, vt cum ipsa penè natura Principis ingenerata ecclesiastica illa dignitas videretur. Sed quoniam nihil, vt diximus, quod non esset arduum, & excellens affectare non poterat, eò redacta res est, vt eius ingẽtes spiritus non caperet vnius Ecclesiæ meditatio. Conceperat iam animo illo suo immeso vniuersam christianæ Reipublicæ molem: in omnes eius partes mentem versabat: regna, & prouincias, quæ à catholica fide desciuerant reuocare; quæ nõdum agnouerant instituere: pietatis, & religionis fines extendere: tot hæresum detestabilem, ac renascentem hydram extinguere: christianos mores formare: catholicam fidem vbiq; gentium asserere: in vnico tandem ouili, & sub vno tantùm pastore christianũ popolum conuocare. Hæc erant Aloysij præcipuæ solicitudines, hæc eius vota, hæc diurna, nocturnaq; desideria. Sed quoniã virtutem illam ad hæc omnia peragenda non satis profuturam existimabat, quæ non fuisset multarum, & maximarum rerum experientia comprobata; illicò exarsit incredibili peregrinationis desiderio, vt sic multorum hominum mores, populorum leges, ecclesiarum instituta cognosceret: primòque in Galliam aduolat, vt ab ea Mundi parte, à qua generis ducebat exordium, ordiretur; simulque Henricum maximum illum Regem, sororemque, & alios Regij sanguinis tum cognatos, tum amicos inuiseret. Vt verò in aula illa verè regia tot summorum procerum, atque Principum amplitudine magnus ille animus, & heroicus nullam splendoris partẽ amiserit, sed inter magnos maior euaserit; vtque suauissimis eius moribus omnium cuiuscunque ordinis hominum, & precipuè Regis ipsius gratiam comparauerit,

rit, teſtis eſt ipſa Gallia, teſtes ſunt ipſi Principes, ipſi Reges, teſtes deniquc ſunt ampliſsimi, tot prouentus, eccleſiaſticæq; dignitates, quibus ab ipſis Regibus mirificè auctus fuit, atque cohoneſtatus: inter quas Auxitanam, & re, & nomine magnam, & preſtantem illam eccleſiam, relicta iampridem Ferrarienſi, vſque ad exitum vitæ retinuit. At verò ipſum vlterius tranſiturum paterna mors reuocauit; cùmq; ſub idem ferè tempus defuncto Paulo Quarto, Pius itidem Quartus ſummus Pontifex electus fuiſſet, mirum eſt dictu, quàm ſubitò in eundem Aloyſium, quem tantopere Paulus amauerat, oculos verterit, & ne minori iudicio in eius virtute dignoſcenda fuiſſe videretur, ab eius Cardinalatu Pontificatum ipſe ſuum voluit auſpicari. Hic verè cogor facundiæ vires omnes expetere, omnes ſitire fontes eloquij. quæritis fortaſſe Auditores quid Aloyſius egerit Cardinalis? at ego viciſsim quæram à vobis quid non egerit. conſulite Romam toties admiratam, quid Romam? conſulite Italiam ſæpius gloriantem, quid Italiam? conſulite vniuerſum terrarum orbem, vno omnium animorum, & ſermonum concentu illius gloriam prædicantem. Cardinalatus honorem honore proprio decorauit: catholicam fidem inuicta fide protexit, rem eccleſiaſticam mira pietate defendit, apoſtolicæ ſedis dignitatem, exiſtimatione, conſilio, ſapientia iuuit, auxit, fulſit, amplificauit: prouincijs in fide titubantibus ſalutarem manum porrexit: in futuris Pontificibus eligẽdis cœleſte tulit ſuffragium: quicquid egit, quicquid potuit ad ſanctæ ſedis auctoritatem, & commodum tranſtulit: chriſtianorum Principum pacem omni ſtudio, amicitiam incredibili munificentia coluit: nationes omnes ſingulari humanitate pellexit: domum, quid domum? imò verò tres ſplẽdidiſsimas domos ad vniuerſi orbis hoſpitium non aperuit modò ſed prodidit; in quibus omnia ita cum peregrinis erant communia, vt ipſi iam non iure hoſpitalitatis, ſed domicilij, non tanquam hoſpites diuerterent, ſed tanquam domini poſsiderent. Verè quidem magna ſunt iſta, ſed multò maxima ſi quæ ſequuntur adiecta fuerint. Caroli Noni, & Henrici Secundi potentiſsimorum Galliæ Regum rationes, & negotia omnia procurauit: cum ſanctiſsimo in terris Chriſti vicario Chriſtianiſsimum Regem officijs, & ſtudijs omnibus conciliauit: vt ſui Regis dignitatem per omnia tueretur non ſumptibus, non periculis, non ipſi vitæ pepercit: Gallos omnes in Italiam deſcendentes hoſpitio

tio suscepit, auctoritate fouit, opibus iuuit: ciuili, ac diutino bello regnum illud distractum, ne discerptum potius dicam, auxilia vndecunque parauit, pericula auertit, existimationem retinuit. Quid plura? prouinciam illam omnem humeris ipsis medius fidius, vt Atlas cœlum sustinuit. O Gallia Gallia, quem parentem, quem defensorem, quod propugnaaulum amisisti. O Christianissime Rex Henrice quam fidem, quod obsequium perdidisti. Tu idem ille qui es in potentissimo regno tuo eodem ferè spiritu, eademq; amplitudine viuente hoc Principe fuisti etiam Romæ. ita enim magnificè; ita splendidè quæcunque ad te pertinerent administrabat verè ille regius administer, vt regiam maiestatem non solùm opere, & re, sed ore, sed eloquio, sed præsentia tueretur. At quantus qualisúe fuerit Aloysius Cardinalis hactenus ipsa vita præclarum tribuit testimonium. audite nunc loquentem etiam eius mortem, & hoc idem cumulatiùs referentem. Senatus ille purpuratorum maximus, & amplissimus, insignis ille tot summorum Principum, tot præstantissimorũ procerum, sapientissimorumq; hominum ex omni Republica christiana selectus ordo, sanctissimi illi diuinarum, humanarumque rerum omnium verè cardines, nonne videntur vnius Cardinalis Estensis interitu consternati, afflictique, & omni solatio penitus destituti? Quid maius est ipsa Roma? quid præclarius? quæ Ciuitas in æstimandis hominibus perspicatior? in admirandis cautior? & tamen qui eius faciem aspexisset, omnisque vel ætatis, vel sexus, vel ordinis voces, & lachrymas exaudisset, omnem eius salutis, ac vitæ spem in hoc vno Principe concidisse, & in eodem Cardinalis Estensis funere efferi funus Romani populi credidisset. Hæc tantæ charitatis, pietatisque iura etiam apud exteros sibi vendicat splendida illa, & vera Principum virtus, magnificentia; quæ cùm ad omnes passim emanet, ac diffundatur, & ipsi quoque passim ab omnibus venerantur, & vbique patriam, honores, & gloriam consequntur. quæ quidem virtus in hoc Principe tanta fuit, quanta vix cogitatione ipsa comprehendere, nedum oratione consequi valeam. quis enim locus est in orbe terrarum cognito tam longinquus in quo non extet vestigium aliquod illius splendoris, atque magnificentiæ, non illud quidem ad exigui temporis recordationem leuiter indicatum, sed altissimè ad memoriam hominum sempiternam infixum? Quæ enim apud ipsum, vel in sumptibus insumendis, vel in largitionibus fa

ciendis, vel in beneficijs collocandis, quæ dico res fuit apud ipsum vel tam præcipua quam non sperneret, vel tam magna quã non paruipenderet? ita enim semper in his omnibus peragendis, seu demandandis insuperabilem, vt ita dicam, se præstitit, vt cùm omnium non modò expectationem, sed ipsam accipientis quoque spem superaret, nunquam tamen se ipsum, & suam animi magnitudinem videri poterat æquaturus: potuisset enim potius euenire, vt alienam habendi, quàm suam erogandi cupiditatem explesset. fœlicissimus si omnia simul habuisset, vt omnia donaturus illicò non haberet. Confluentium verò ad ipsum, tanquam ad gratiarum fontem vberrimum cuiuscunque generis hominum non voces aucupabatur, sed indigentiam obseruabat, vltroq; ipsis tam opportunè non verbo, sed re munificus occurrebat, vt penè ipsa eorum vota, ne dum preces opere præueniret. rogatus verò ita se totum ad alterius nutum composuit, vt multò plus rogatori, quàm rogato similis videretur; dixissesque illum non polliceri, sed accipere potius beneficium. Quod verò admirabilius est ita facilis fuit ad hauriendas, imprimendasq; animo illo suo beneficẽtissimo deprecantiũ affectiones, vt aliorum non modò placidè, sed libenter etiam onera sustineret, & quem pro se ipso nunquam egestatis habuit sensum, pro alijs experiri, ac perpeti non detrectaret. quid plura? concludamus vnico verbo. nephas erat apud ipsum, & quasi quoddam piaculum negare quod posset, quod verò non posset infœlicitas, atque dolor. At quid non potuit? quæ'nam res illi tam ardua, ne dicam impossibilis vnquam fuit, quam non aggrederetur animosa illa, & plena Estensis spiritus magnanimitas? quid ope illius heroicæ charitatis non obtinebat? quis tam rigidus gratiarum omnium inimicus, qui coràm alloquentis, ac deprecantis illius vim sustineret? Vigebat in eius ore maiestas cum singulari quadam comitate coniuncta, quæ dum simul amorem, & reuerentiam excitaret, animos non alliceret modò, sed quòd ipse vellet nolentes etiam ipsos impelleret. tametsi quis negare ausus fuisset quicquam ei, qui nihil omnino nouerat denegare? Cum hac igitur tanta magni Principis, & Antistitis charitate quis dubitabit non omnes alias coniunctas esse virtutes? quæritis exploratam æternæ vitæ fiduciam? eius exitum contemplamini. vir ille magnanimus, & gloriæ cupidissimus immatura morte præuentus, mortem quæ finis est totius humanæ gloriæ, totius heroicæ actionis, non perhorre-

horrebat, quia vitam in æterna patria præstantiorem sperabat. Vultis inuictam sperandarum rerum constantiam? vos appello domesticos eius omnes, appello vos intimos illius animi explora tores, quis ex vobis est, qui de affectata potius à vestro Domino vita, quàm morte audeat affirmare? non'ne omnes iampridem illius cogitationes, opera omnia tam apertè humanarum rerum fastidium ostendebant, vt personare in omnibus Apostolica illa vox videretur, Cupio dissolui, & esse cum Christo? Vultis denique insuperabilem animi fortitudinem? non aliunde quàm ab ipsa morte, hoc est supremum formidabilium omnium, exempla petite. qualis enim intrepidi illius viri status erat in morte? ille idem qui semper fuit in vita. in cruciatibus corporis idem vultus, in laboribus mortis idem animus. flebat ne ille? lamentabatur? quærebat à circunstantibus opem? absit. labefactata iam, atque victa sucumbebat ipsa natura, omnia iam instantissima mors occupabat, vigebat in eo tamen insuperabilis illa excelsi animi virtus, quæ nulla mortis caligine obscurari, nullis coerceri vinculis poterat: & dum omnes alij lachrymabantur, lamentabantur, inuictus ille semper, &, si vnquam aliàs, sui similis de duobus regnis verè regius vir satagebat; cœlesti scilicet quem affectabat, & quò sacratissimis Ecclesiæ sanctæ præsidijs ab ipsomet requisitis, religioseq́ue habitis, properabat: humano, dum Gallici regni curas in Oratoris regij sinu deponeret, extremasq; fidei, & amoris erga suum Regem reliquias ministro regio commendaret. O virum in vita magnum, in morte maximū. ò Principem regio sanguine verè genitum. ò generosam Estensis domus propaginem, cui te comparabo? Domesticos habuisti tu quidem vitæ, & morum formatores, nempe duos Hippolytos maiorem scilicet, & minorem patruos tuos, præclarissima illa duo Ecclesię sydera, duo illa virtutum omnium exemplaria, quę dum imitanda proposuisti, longissimè superasses si naturæ tibi, non valetudinis cursum peragere contigisset. quòd si corpore fuisses tu, vt eras animo validus; profectò non satis tibi erant futuræ nec Roma, nec Italia, nec Gallia, nec Panonia, nec ferè ipse terrarum orbis ad ea quę maximus ille tuus moliebatur animus excipienda. O mortem nimis importunam, semper acerbam. Ego iam, vt verè fatear, non mediocriter sentio, nimis arduas à me hodie leges, ipsa etiam teste, vel potius repugnante natura, fuisse nobis impositas. Sentio quàm difficile sit in tam commu-

ni luctu,in tantis tenebris,& ſqualore,in tam lugubri rerum om-nium facie non langueſcere,non commoueri. Video quale ocu lis noſtris ſpectaculum, qualem animis luctum funus hoc acer-biſsimum excitauerit. Omnia quæ amiſimus ſubeunt Princi-pem nobilitate clariſsimum, virtute eminentiſsimum, ſplendo-re nominis celeberrimum; eo nobis ætatis ſuæ robore ereptum, quo iam maturi fructus ingenij vberiores percipi potuiſſent. O iacturam incomparabilem,infinitam,ab hominum memoria nullo æuo delendam,nullo ſæculo reparandam. Si naturę ſequi-mur ſenſum, quis eſt hodie tam ſeuerus, ne dicam inhumanus, qui non dolere conſtantiam, qui non flere virtutem, cenſeat ap-pellandam? ſed ſi lachrymis locus eſſet quis potiſsimùm deplo-randus? Aloyſius Princeps, qui cum mortales ſenſus exuerit æter nos eſt conſecutus? abſit. deplorandi potiùs nosmetipſi,qui quo præſidio frueremur, poſtquàm priuamur, agnoſcimus. Deplo-randi vos domeſtici eius omnes, qui non dominum, ſed patro-num, ſed cuſtodem, ſed propugnatorem, ſed parentem optimū amiſiſtis. At non eſt vera pietas in aliena felicitate ingemiſcere, iacturam propriam in amici gloria deplorare. Beneficium acce-piſtis eſto propterea'ne dolendum? imò verò lætandum, quòd pro tantis illius meritis quam vos concipere animo vix potuiſtis mercedem, cumulatiſsimè nunc retribuat bonorum ille om-nium remunerator æternus. Præſidium amiſiſtis. fateor. at conij-cite ſpes veſtras omnes in hoc quod ſupereſt ſolidiſsimum,ac tu-tiſsimum Eſtenſis familiæ columen Principem ſcilicet noſtrum non minus re,quàm nomine Sereniſsimum. in hoc vnico recrea mini; per hunc emergite è fluctibus lachrymarum; in hoc deni-que reſpirate; in hoc reuiuiſcite. quid enim hoc ſuperſtite me-tuendum? quid hoc ſoſpite non ſperandum? Erigite animos ve-ſtros,erigite,nec in his mortalibus Aloyſij monumentis inſiſtite: ſed quibus ille veſtigijs commigrauit in æternum beatitudinis domicilium, perſequimini eum vos. illic enim videbitis magnā, ac beatam illam animam exultantem, & veſtras, ni fallor inanes lachrymas irridentem. Præcipuè verò te Sereniſsime Princeps conſolari vox illa debet amantiſsimi fratris tui,quam è cœlo,vbi nunc beatiſsimus ille viuit exaudire mihi videtur. Ego, inquit, Sereniſsime frater ſi longiùs producere vitæ limites mihi datum fuiſſet, quid aliud in votis habuiſſem, quàm vt pro tua ſalute, at-que incolumitate, ſobolis incremento, imperij amplitudine, for-

rum

tunarum accesſione, rerũ denique, & bonorũ omnium affluentia, perpetuaq; felicitate Deum Optimũ Maximum deprecarer? Nunc verò quãdo illud mihi non humanis precibus ſed diuinis, non cordi ſed ſpiritu, non lingua ſed intuitu, non ſpe, vel fide, ſed puriſsima in Deum charitate multò meliùs datum eſt, ac perfectiùs implorare, cur doles? tua cauſa'ne. qui morte mea, imò potiùs vita pro mortali cœleſte, pro caduco ſempiternum conſecutus es patrocinium? mea'ne, qui cum quiete labores, cum ſecuritate moleſtiam, cum vita mortem commutaui? Reprime igitur frater optime, reprimite vos ſorores amantiſsimæ lachrymas. & ſi fortè vos, quæ veſtra eſt pietas, vehemens adhuc mei deſyderium detinet, quærite vosmetipſos, atque intima pectoris indagate. illic poteritis me veſtris animis inſidentem, fraternamq; charitatem fraterno ſpiritu inſtillantem quandocunque libuerit inuenire. Audiamus igitur Sereniſsime Princeps, audiamus ipſum è cœlo ſic alloquentem, ſanctiſsimèque conſolantem. Caue ne dixeris Aloyſium fratrem tuum adhuc non viuere, qui vitæ curſum habuit breuem, gloriæ ſempiternum. Dixi.

Habita Ferrariæ in Sacra Principis æde XIII. Kl. Feb. M. D. LXXXVII.



AD BAPTISTAM GVARINVM IVN.
SER.MI DVCIS FERR. INTIMVM CONSILIARIVM,
EQVITEM PERILLVSTREM, Oratorem, & Poetam celeberrimum.

HIERONYMVS BOVIVS FERR. Sacræ Theologiæ Doct.



RINCIPIS ESTENSIS *decuit si funus acerbũ*
Plangere, cui texit purpura sacra comas:
Dicere si ductos ortus à sanguine Regum:
Dicere quæ Heroem splendida facta decent.
Flectere si demum poterat quis pectora flendo
Iacturam tanti Principis; vnus eras.
Vnus eras GVARINE potens sermonis, & artis.
Hæc fuerant humeris pondera digua tuis.
Vastum nanque tua Oceanum facundia vincit,
Dum tu Cecropios fundis ab ore modos.
Mitto quòd es Vatum splendor, Phœbique sacerdos,
Parnassi custos, Mæonidumque decus.
Fert animus lachrymis lachrymas coniungere, luctus
Luctibus, & gemitus consociare tuos.
Sed quia non possum Aonios attingere fontes,
Tu mihi plectra dabis: tu mihi Phœbus eris.
Magnanimi ESTENSIS mẹstus dum funera ploras,
Quem non compellas plangere, nullus erit.
Luctisonos si quis poterit non fundere fletus.
Suspicor Hircanas hunc genuisse feras.
Dum GVARINE gemis, vidi iuuenesque, senesque
Imbre rigare sinus, vngue notare genas.
Scindere conspexi vestes, abrumpere verba
Singultu, manibus dilaniare comas.
Lugubri induitur dum plangis Olympus amictu,
Et properat gemitus mittere cum lachrymis.

Roma

Roma gemit tecum: deflet Ferraria tecum;
Et Rhodanus plorat, plorat & Eridanus.
Cui Princeps protector erat flet Gallia Tybur
Tam chari lachrymans corporis ossa tegit.
Funera dum luges, fleuerunt omnia tecum
Cælum, homines, vrbes, flumina, templa, feræ.
Magna loquar. te flente truces vlulaße leones,
Barbaricosque Getas indoluisse ferunt.
Quid mirum? exculti eloquij dum fulmina vibras,
Marmora verborum poneere fracta ruunt.
Compta Periclæo loqueris dum verba lepore,
Mollia sunt dictis marmora facta tuis.
Mouisti lachrymas. potuisti augere dolores:
Sistere tu luctus: sistere tu gemitus.
Sic nigras socians noctis venit Hesperus vmbras,
Qui redit Eois Lucifer albus aquis.
Nanque vbi (quod memoras) Cælo est ALOYSIVS alto,
Qui teneat summi regna beata poli;
Detergunt lachrymas omnes; sua lumina siccant,
Principis & placida funera mente ferunt.
Iure semel miseri morituri viuimus omnes.
Continuò celeri mors venit atra pede.
Mors venit? ah fallor: mors euolat ocyor Euro.
Mors omnes, nulli parcere docta, rapit.
Vt properans fluuius menses labuntur, & anni.
Vita velut fumus transit, vt vmbra fugit.
Nascimur, & morimur. spes Clotho sedula rumpit.
Vertitur in cineres quod fuit antè cinis.
Prætereunt tituli omnes, mitræ, sceptra, coronæ.
Gloria virtutum non moritura manet.
ESTENSIS nomen toto celebrabitur orbe,
Vixerit & chartis tempus in omne tuis.
Quà perflant venti, stant montes, flumina currunt.
Quà Soles ardent, frigora quà'ue rigent.
Auricomo ESTENSIS decorabit sidere Cælum,
Vt splendor viuens Vrbis, & Orbis erat.
At GVARINE tibi, quem Maurus nouit, & Indus
ESTENSEM æternum sit gemuisse decus:
Dumque tuo eloquio illustras hæc funera, demptus
Sit mundo mæror, sit tibi partus honor.

TVMV-

TVMVLI
IN OBITV ILLVS.^MI ET REVER.^MI ALOYSII ESTENSIS S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMI.

AVTHORE HIERONYMO BOVIO FERRAR.

AD VIATOREM.

I.

HOc iacet in tumulo Estensis. si cætera quæras.
Cætera Guarinus, cætera Fama docet.

II.

Quò properas? supplex cineres venerare sacratos.
Est dignus tanto Principe tantus honor.

III.

Hîc iacet Estensis. sed cætera nouit Iberus,
Euphrates, Rhodanus, Nilus, & Antipodes.

IIII.

Quò pergis? sistas. iacet hîc Aloysius ille
Magnanimus Princeps. hæc satis hospes abi.

V.

Siste gradum. hoc auidus cupias spectare sepulchrum,
Et debere oculis tunc fateare tuis.
Hac ille aurata situs est Aloysius vrna,
Par meritis cuius gloria nulla fuit.

VI.

Nubila miraris? tumidos miraris et Austros?
Curùe imbres Cœlo, nocte, dieq; cadant?
Desine mirari. Sunt nubes mœror Olympi.
Sunt vēti gemitus. sunt pluuiæ lachrymę.
Nanque EST purpurei priuatus lumine Solis.
Qui mundi splēdor, qui decus Vrbis erat.

TVMVLVS
Ferraria, & Gallia colloquuntur.

F. *LVctificæ tibi nunc demonstrat vulnera mortis,*
Funera GVARINVS dum mea collachrymat. G.
F. *Commaculant mea si plorando pectora luctus*
(Principe mox rapto) tu tua dilaceres. G.
F. *Diripuit mihi si Clotho nunc viscera acerbo*
Funere, clam Lachesis cor tibi surripuit. G.
F. *Empyreo manet vt Princeps nunc æthere noster,*
Pellere nos curas vult sine tristitia. G.
F. *Præstiterat bona si mundo tunc plurima viuens,*
Millia nunc Cælo sic tibi contulerit. G.